

potest invenire, ille solus agat illud ministerium. Et hoc notandum est: quia inferius dicturus est: *Si quis frater fregerit vel perdiderit, debet veniam postulare*, ideo nunc dicit brevem facere, ut si forsitan noluerit manifestare damnum, cognoscatur per brevem. *Sordide* autem ad immunditiam, *negligenter* enim attinet ad fracturam et sorditiam. *Disciplinae regulari subjaceat* duobus modis debet intelligi; uno modo: si fregerit, debet excommunicari, sicut in tertio modo dicit; si vero non munde et non recte atque studiose tractaverit, quae<sup>1)</sup> non est ad fracturam, sed ad immunditiam, debet etiam per sex gradus duci.

Cap. XXXIII.

SI QUID DEBEAT MONACHUS PROPRIUM HABERE. Rectum ordinem tenuit in hoc loco S. Benedictus, cum postquam dixit, ut cellararius omnia vasa monasterii cunctamque substantiam ac si altaris vasa conspiceret, et subjunxit suo ordine de ferramentis vel rebus monasterii brevem esse faciendum et diligenter esse tractanda, [et] subjunxit statim: *Si quid debeat monachus proprium habere*, i. e. ne aliquis velit se subtrahere aut auferre se ab illa generalitate. Ideo rectum fuit, ut statim diceret, ut nullus auderet proprium habere, sed omnia siat communia. Reddit causam, quare, cum dicit: *quibus nec corpora nec voluntates licet habere in propria voluntate* - ac si diceret aliis verbis: nam si corpora et voluntatem in propria non licet habere potestate, multo minus aliquid rei habere proprium debent, quod extra corpus est. Quod autem dicit: *non liceat dare vel accipere sine jussione abbatis*, non ad praestitum attinet, sed ad proprium possidendum; nam licet sibi praestare invicem acus vel cultellum aut tabulas aut aliquid tale sine jussione, quia caritas est, et ejus intentio non fuit, ut caritas evellatur, sed magis, ut confirmetur, h. e. ut nullus proprium habeat, eo quod jam non est caritas, si aliquid vult unus habere, quod non vult, ut alius habeat illud.

<sup>1)</sup> quod (?).